

# DOMINICA PASSIONIS.

EVANGELIUM JOANNIS VIII.

In illo tempore : Dicebat Jesus turbis Judæorum et principibus sacerdotum : Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei : Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes? Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam : est qui quærat et judicet. Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo ei Judæi : Nunc cognovimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, et prophetæ, et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est, et prophetæ mortui sunt? Quem teipsum facis? Respondit Jesus : Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est : et non cognovistis eum : ego autem novi eum. Et si dixero, quia non scio eum : ero similis vobis mendax : sed scio eum, et sermonem ejus servo. Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum : vidit, et gavisus est. Dixerunt ergo Judæi ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti. Dixit eis Jesus : Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum, Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.

## CONCIONES.

- I. Ratio expugnandi et vincendi dæmones.
- II. Defectus penitentiae.
- III. Motiva lacrymarum ex parte eorum, qui peccato offenduntur.
- IV. Christus quomodo in passione vitulus.
- V. Quam conveniens fuerit Christum pati.
- VI. Cur Ecclesia toties nobis refricet memoriam passionis dominicæ.
- VII. Christi passio cum dolore cur memoranda.
- VIII. Lapidibus obruuntur blasphemi.

- IX. Documenta evangelica.
- X. Mystera evangelica.

### CONCIONES AUCTARIUM.

- I. Terriculamenta penitentiae.
- II. Dies Christi, dies passionis ejus.
- III. Passio Christi varie nobis applicanda his diebus.
- IV. Quomodo Abraham viderit diem passionis Christi.
- V. Christus aries gregis, hoc est, dux et caput martyrum.

DOMINICA PASSIONIS.

55

## CONCIO I.

RATIO EXPUGNANDI ET VINCENDI DÆMONES.

- I. Per diffidentiam sui et confidentiam in Deo. — II. Per fidem. — III. Per orationem. — IV. Per jejunium. — V. Per dominicæ passionis : I. Meditationem. II. Ejusdem imitationem. III. Ejusdem applicationem. IV. Ejusdem invocationem. V. Ejusdem venerationem. — VI. Per retorsionem suggestionis.

### THEMA.

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. Joan. VIII.

Vidimus superioribus dominicis armaturam dæmonis et fugere didicimus, sed nondum militare. Prodit igitur dæmon hodie majore cum audacia, et qui initio quadragesimæ Christo monstravit tantum lapides, hodie eos tollit manibus Judæorum, ut jaciatur in eum. Tempus igitur est, ut etiam nos ad prælium accingamur; et quibus aliis armis, nisi quibus vicit David? Ergo lapidemus dæmonem, qui hodie per Judæos lapidare voluit Christum.

I. David in suis vestibus et pastoralibus tantum armis, baculo et funda aggressus est Goliathum, respuitque arma Saulis ferrea et militaria, galeam, loriam, gladium. Confidebat enim David non in armis suis, sed in Dei præsidio. Unde ait Goliatho : *Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo : ego autem venio ad te in nomine Domini. Et noverit universa Ecclesia hæc, quia non in gladio nec in hasta salvat Dominus : ipsius enim est bellum.* Primum igitur armorum genus contra dæmonem est, diffidere sibi ipsi et confidere in Deo, juxta id Psalm. XC. *Quoniam in me speravit liberabo eum.* Vis rationem? Statim eam subdit propheta : *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum;* non qualicumque cognitione, sed quo modo ovis agnoscit pastorem, filius parentem, ad quem habet recursum suum; ac denique proteget eum, qui cognovit nomen Domini turrim esse fortissimam, ut ait Sapiens, Proverb. cap. XVIII. *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit justus, et exaltabitur.* Hac ratione qui cognovit nomen Dei, meretur ab eo protegi. Unde ad prædicta psalmi verba subdit S. Bernardus, serm. XV. in psalm. XC. *Si tamen cognoverit nomen meum, ne sibi tribuat, quod liberatus est, sed nomini meo det gloriam.* Cum enim hoc prælium sit Dei prælium, pro Dei honore susceptum, vult Deus ut in ipsius nomine id suscipiamus et victoriam non nobis, sed ipsi ascribamus. Hac de causa voluit Deus ut Gedeon contra 135000. Madianitarum pugnaturus, de suis militibus, qui erant 32000. non plures retineret quam trecentos, reliquos omnes dimitteret;

*Ne gloriatur contra me Israel, inquit, et dicat : Mei viribus liberatus sum, Judic. VII. (Hebr. ne seipsum jactet Israel contra me dicendo : Manus mea salvavit me.)* Huc pertinet illud oraculum Dei celeberrimum S. Antonio datum, qui cum videret in spiritu totum mundum plenum laqueis, illacrymans exclamavit : *Heu Domine, quis effugiet tot laqueos?* mox audit : *Humilitas.* Parvulum igitur et imbecillum te agnosce, et robur tuum in Deo quære : sic evades et liberaberis, quomodo parvuli pisces omnia evadunt retia. Unde Psalm. CXIV. dicitur : *Custodiens parvulos Domini, humiliatus sum et liberavit me.*

II. Tulit baculum, quem semper habebat in manibus. Baculus noster fides est, in hoc enim baculo transivimus Jordanem, Genes. XXXII. (baptismum,) et hunc in manibus nostris semper gerere, eoque niti debemus, ac canes tartareos abigere, juxta id Pet. V. *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Quod fiet si ingruente necessitate apprehendamus fidei nostræ dogmata et monita, dicendo Satanæ : Tu quidem hoc vel illud suades, verum fides, cui nomen dedi, istud prohibet et fugiendum docet, veluti rem noxiam et ducentem ad perditionem, docet peccatoribus paratam esse gehennam, bene viventibus vitam æternam, etc. in hanc fidem ego juravi in baptismo; hæc baculus est firmissimus, quo secure nitor, qui cadere me non sinet, etc. Ferunt mustelam serpenti inimicam, quando eam aggredi parat, rutam edere et hoc quasi clypeo tectam fidenter eum invadere, Plin. lib. XX. c. XIII. Ruta nostra fides est, quia ut ruta cruda sumpta visum acuit, ita fides mentis oculos illuminat. Hinc apost. ad Ephes. VI. fidem appellat *scutum;* quia ut scutum tuetur hominem et omnes ictus retundit; ita fides animam contra inflictus dæmonum. Testem addamus S. Antonium fortissimum athletam in hoc præliandi genere, qui inter alia : *Magna, inquit dilectissimi, adversum dæmones arma sunt, vita sincera, et intemerata ad Deum fides.* Athanasius in vita.

III. Fundam manu tulit. Funda nostra oratio est, qua ad cælum ejaculamur desideria et vota nostra. Et hæc optimum præsidium est contra dæmonis tentationes, juxta id Matth. c. XVII. *Hoc genus (dæmoniorum) non ejicitur nisi per orationem et jejunium.* Et Matth. XXVI. *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem.* Id quod exemplo etiam suo docuit, dum nocte passionem præcedente per prolixam orationem ad certamen se munivit, non quod ipse ea egeret, sed ut nos instrueret. Figurata hoc expressum est, quando Moyses in deserto elevavit manus orans, et orando cædens



Amalec magis quam Josue gladio, Exod. XVII. Vincebatur enim Amalec quamdiu levavit Moyses manus. *Nobis etiam pugna est*, inquit Origenes, hom. XII. super Exod. *adversus Amalec, hoc est, adversus principes et potestates et rectores tenebrarum harum, eleva et tu manus ad Deum, etc.* Nam oratio, inquit S. August. *oranti est præsidium, Deo sacrificium, dæmoni flagellum.* Itaque ejaculare ad Deum crebras precatiunculas, quibus opem ejus implores, qualis est illa S. Augustini: *Si me non protegis, quia pullus sum, milvus me rapiet, quare sub umbra altarum tuorum protege me.*

IV. Peram pastoralem habebat secum. Pera nostra jejunium est, venter inanis, quemadmodum et pera Davidis panibus vacua et lapidibus solis impleta fuit. Hoc armorum genus subministravit nobis Christus, non tantum verbo, ut supra vidimus, sed etiam exemplo; siquidem et ipse hanc peram corpori suo aptavit, quando per jejunium quadraginta dierum ad pugnam tentationum contra dæmonem se armavit, ubi inanem ventris peram (ut sic loquamur) non panibus implere voluit, sed lapidibus potius, quia noluit e lapidibus panes sibi facere: hoc autem fecit Dominus ad nostram instructionem. Audi S. Ambrosium, epist. ad Eccles. Vercellensem: *Dominus Jesus, inquit, volens nos adversus diaboli tentamenta fortiores reddere certaturus jejunavit ut sciremus quia aliter illecebras non possemus vincere.* Eadem pera accinctus prodiit ad certamen apostolus, qui I. Corinth. cap. IX. scripsit: *Sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum et in servitutem redigo.* Per jejunium, intellige: ut volunt S. Ambrosius, Gregorius, Chrysostomus. Ut enim per gulam dæmonem roboramus soeiciando et confederando ei carnem nostram, ut jam duobus hostibus unus resistere non possit: ita per jejunium ejusdem vires frangimus et carnem humiliamus, eique subtrahimus, ex qua alioquin cibus distenta veluti ex vallo periculose nos oppugnat. Gula est, quæ virtutum muros destruit et inde animæ nostræ civitatem dæmoni occupandam tradit, quemadmodum legimus IV. Reg. ult. Nabuzardan principem coquorum destruxisse muros Jerusalem et urbem occupasse, de qua S. Gregorius, lib. XXX. moral. cap. XXVI. « Muros Jerusalem, inquit, coquorum princeps destruit, quia virtutes anima, dum non restringitur venter, perdit. Hinc est quod Paulus contra Jerusalem mœnia decertanti vires coquorum principi (ventri) subtrahebat, cum diceret: Castigo corpus meum et servituti subicio. Unde præmiserat: Sic pugno non quasi aerem verberans, quia cum carnem restringimus, ipsis abstinentiæ nostræ ictibus, non aerem, sed immun-

dos spiritus verberamus; et cum hoc, quod est intra nos subijcimus, extra positus adversariis pugnos damus. » Sic Gregorius. Similiter S. Bernardus ait: *Jejunantibus nobis diabolus esurit.*

V. Elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente et misit eos in peram. Unde nobis lapides isti? E torrente passionis dominicæ. Primus est ipsa meditatio passionis, qua dæmonem in fronte percitimus, cum ea intellectum nostrum armamus, juxta monitum Sancti Petri, ep. I. cap. IV. dicentis: *Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini.* Novimus immunes fuisse domos ab angelo percutiente, quarum superliminare sanguine agni paschalis inunctum erat, Exod. XII. Inungitur autem superliminare domus nostræ sanguine Christi cum intellectus noster occupatur in meditatione passionis ejus, uti docent ibi Rabanuset Lipomanus. Quæ quidem meditatio quomodo non fugabit angelum percutientem (dæmonem) ejusque tentationes et illecebras, si cogitemus Deum tanta passum, ut a servitute dæmonis et peccatis nos liberaret? Fecit S. Edmundus episcopus Cantuar. qui ut est in ejus vita, cap. III. apud Surium in novemb. cum adhuc juvenis a Christo edoctus esset titulum Christi crucifixi quotidie inscribere fronti suæ in memoriam passionis ejus, idque semel facere noctu omisisset, collegit se et signare frontem voluit, sed tentatus a diabolo fuit, ne manum fronti applicare posset. Christi igitur opem dum implorat, decidit diabolus inter lectum et murum: quem collo premens Edmundus adjuravit per passionem et sanguinem Christi ut sibi aperiret quo potissimum armorum genere arceri et debellari queat. Respondit dæmon: *Illud ipsum, quod jam nominasti.*

Secundus, ejusdem passionis imitatio, per mortificationem carnis et sensuum; si enim cogitemus nos cum Christo crucifixos esse, uti vult S. Petrus, loco cit. et Paulus ad Rom. VI. dicens: *Vetus homo noster simul crucifixus est, facile prosternemus adversarium nostrum.* Nam primo crucifixus non potest pro suo libitu manus et membra movere, quia ligno affixa habet: sic cogita te affixum legi Dei et Christi, ut non possis ad libitum facere quæ placent, sed quæ decet et legi sunt conformia. Cum ergo provocat dæmon ad descensum de hac cruce, dic tu cum apostolo: *Christo confixus sum cruci*, ad Gal. II. Secundo, crucifixus omnes mundi illecebras spernit, nec attendit ad prætereuntes vel adstantes, nec sollicitus est de crastino: sed eo tantum cogitat, ad quæ paulo post se migraturum esse novit: ita cogita et tu, omnia terrena brevi relinquenda, ad futuram æternitatem mentem esse

convertendam. *Pudeat ergo sub spinoso capite membra esse delicata*, inquit S. Bernardus. Si Christus in horto captus est; ergo mundi amœnitates nobis despiciendæ sunt. Si laqueis et catenis amore nostri vinetus; ipsius in honorem nostri etiam sensus et membra constringenda sunt. Si alapis et verberibus dirissime laceratus; nostrum etiam corpus meritum edomandum. Si causa nostra crucifixus est; caro etiam nostra cum vitiiis et concupiscentiis crucifigenda.

Tertius, ejusdem passionis applicatio, quæ fit per sacramenta maxime pœnitentiæ et eucharistiæ. Per pœnitentiæ percutimus diabolus in fronte, quæ sedes est pudoris, cum in confessione humanum illum et noxium pudorem vincimus, totamque conscientiam sacerdoti aperimus, et præsertim quando etiam occultas dæmonis tentationes ei revelamus. Novimus enim regem Jyræ nihil potuisse contra Hebræos, quamdiu ejus consilia detexit Elisæus regi Israel, IV. Reg. VI. ita nihil poterit contra nos diabolus, si ejus suggestiones manifestemus confessario. Quod confirmat Cassianus, collat. II. c. XI. exemplo Serapionis abbatis, qui cum tentationem gulæ aperuisset abbati suo, lampas e sinu ejus egressa est, sulphurei odoris, in testimonium pulsæ tentationis, ut superiore dominica vidimus.

Quartus, ejusdem passionis invocatio seu refugium ad illam, veluti cum signum crucis devote fronti imprimimus, aut in vulnera ejus nos abscondimus, appellando ad ejus merita, ubi deficiunt vires nostræ. Ita Aug. in id ps. LX. « Factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici. Angitur cor meum, inquit, laboro inter tentationes et scandala, is (Christus passus) est mihi turris fortitudinis, quo cum fugero, non solum vitabo tela inimici, sed etiam in illum quæ voluero, ipse jaculabor. Caves, ne feriaris a diabolo? Fuge ad turrim, etc. » Et in manuali c. XXI. « Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei et recedit a me. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi, etc. » Hunc in modum B. Birgitta ludens cum puellis vidit diabolus tamquam centimanum, aut centipedem, horrida specie deformem. Perterrita igitur occurrit ad lectulum, ubi crucifixum adorare solebat, Christo se commendans. Ubi rursus ei teter ille spiritus apparet: *Nihil possum*, inquit, *nisi permittat crucifixus*, Sur. in vita, cap. V. S. Elzearius comes Ariani, omnes animi motus hoc medio

compescuit. « Quoties, inquit, aliquam animi commotionem ad iram vel impatientiam sentio, cogito de Christi passione et patientia, nec ab ea cogitanda et ruminanda cesso, donec per eam detumescat et subsidat omnis animi æstus et commotio. » Ut in ejus vita. Quare cum tentatio urget, invocemus Christum per passionem ejus, per flagella, per vulnera, per crucem et mortem, ut arcere a nobis velit hostem crucis.

Quintus, ejusdem veneratio, cum singulari devotione afficimur erga eam, cum crucifixo caput reverenter aperimus, genua flectimus, aliisque modis passionem Domini honoramus. Nihil enim minus ferre dæmon potest quam cultum et venerationem ejus instrumenti, quo ipse devictus et potestate sua exutus est. Testis abbas Christophorus, in prato spirit. c. CXV. qui vidit fratrem anachoretam impediri a dæmonibus specie corvorum ejus oculos impetentium, ne intraret templum Jerosolymis ad crucem adorandam.

VI. Gladio Goliathi in terram dejecti præcidit caput ejus. Gladius Goliathi est ipsa dæmonis suggestio, quam si mox in caput ejus retorqueamus, capite præciso totum enecabimus. Eo pertinet, quod dixit Deus ad serpentem, Gen. III. *Ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo ejus*; (mulieris) ut docet August. in ps. CIII. « Si diabolus, inquit, tuum calcaneum observat, tu caput illius observa. Caput illius est initium malæ suggestionis; quando incipit mala suggerere tunc repelle, antequam surgat delectatio et sequatur consensus. » Hoc autem optime faciemus, ipsummet ejus gladium in eum retorquendo; verbi gratia, si ex superbæ et vanæ gloriæ titillatione concipiamus profundiorum humilitatem; ex gulæ suggestionem severioris abstinentiæ propositum; ex impudica specie majorem ejus vitii detestationem; et ad hoc ipsum Deum ferventius imploremus. Fuit hoc aliquando ostensum divinitus Joanni de Alvernia Franciscano, (ut est in chronicis Francisc. p. II. l. VII. cap. VII.) Vidit enim innumeros dæmones plurimas sagittas continenter in Dei famulos jaculantes, quarum aliæ in auctores ipsos magna vi resiliabant, unde horrendum ululantes in rabiem ac tandem fugam agebantur. Aliæ casso jactu religiosos vix attingebant, moxque in terram nullo relicto vulnere decidebant. Aliæ ad vivum usque penetrabant. Aliæ demum latera tota hauriebant. Docebatur autem hoc viso monachus optimum tentationibus resistendi primum modum esse, si videlicet eadem tela, quæ dæmon in nos intorquet, in ipsum retorqueamus, easdemque tentationes, quibus pestem nobis molitur, ad nostram utilitatem adducamus.



Pugnemus ergo, charissimi, strenue ut David, quo cum ipso triumphemus. Illi occurrerunt mulieres ex universis urbibus epinicia accinentes. Obventa ergo victoria, obviabit et nobis chorus sanctorum de caelo, victoriale carmen accinens, etc.

## CONCIO II.

## DEFECTUS POENITENTIAE.

I. Contritionis regula. — II. Confessionis regula, et examen conscientiae generale juxta omnia praecipua. — III. Satisfactionis regula.

## THEMA.

*Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu et daemone habes?* Joan. VIII.

Difficilem sane thesin proponit hodie Christus ante passionem suam: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Voluit enim innocentissimus agnus priusquam immolaretur, hoc examine probare se absque macula esse (id quod praecipitur de agno, Levit. XXII.) ne postea dici vel existimari posset, propter scelus aliquod passus esse. Sed voluit praeterea thesin hanc proponere, ut nos quoque animaret, ad eandem defendendam; defendendam, inquam, non tantum in mortis articulo, sed et in accessu ad ss. eucharistiam. Hoc enim est, quod inquit S. Paulus, I. Corinth. XI. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat.* « Ecclesiastica autem consuetudo declarat, (inquit Concil. Trid. de sac. eucha.) eam probationem necessariam esse ut nullus sibi conscius peccati mortalis quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat. » Sacramentalis itaque confessio regula est et Lydius lapis, ad quem probari quisque debet, num sine peccato sit, et sic de pane illo edat. Verum quia confessio illa compartes duas requirit, contritionem et satisfactionem, quae sunt tres poenitentiae partes; singulis singulae assignari possunt regulae, et videntur assignatae a Sapiente, Sap. cap. XI. qui ubi dixisset potuisse Deum reprobos facillime occidere spiritu virtutis suae, subjungit: *Sed omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.* Quibus verbis, ordine quo posita sunt, tres poenitentiae partes, apte significatur contritio per mensuram, confessio per numerum, per pondus satisfactio. Qui ergo digne vult accedere ad sacram communionem, triplex hoc examen (si tamen prius peccavit) necessario subibit, ut dicere et ipse possit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Deusne, an homo, an propria con-

scientia? Haec illa pedum lotio est quam sacrae communioni praemisit in cena Dominus. Sed quemadmodum ibi, licet omnes loti sint, non omnes tamen mundati sunt; ita vereor et hic, ne reperiantur aliqui Judaei similes, loti sed non abluti, quibus dici possit: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et daemone habes?* Videamus proinde et applicemus has mensuras, subeamus examen.

Quemadmodum in commerciis facile contingit, ut qui mensura, pondere, ulna alioqui justa utitur, injuste tamen utatur et usu ipso fraudet, ita fit et in spiritualibus. Contritio, confessio, satisfactio, justissimae sunt regulae, si recte his utaris ad acquirendam gratiam. Sin minus, mirum sane non est, si dum fraudem facis, fraudem patiaris et deterior abscedas quam ad sacramentum accesseris. Ejusmodi erant Samaritani, qui propterea ignobiles et abjecti erant, quod semijudaei essent, hoc est, legem quidem Judaicam observarent, sed non recte, ut vult Euthymius et alii, seu quod eam adulterarent, ut Origenes. Quare sicut Judaei Christum appellabant Samaritanum, quod sabbatum violare et manibus illotis manducare similiaque contra legis rigorem facere ipsis videretur; sic possem et ego (sed vere) appellare eos, qui praecipuum hujus temporis de sacramentali confessione observant quidem, sed non recte.

I. Contritio ad mensuram examinanda est. Primo, ut pro mole peccatorum tuorum metiaris contritionem tuam. Implevisti congium tuis inquitatibus? Tantumdem lacrymarum funde, si non ex oculis, saltem ex corde tuo. Implevisti amphoram? Cura ut tantum fleas, quantum amphorae replendae sufficeret. Ita enim de synagoga peccatrice, ait Isai. cap. XXVII. *In mensura contra mensuram judicabis eam.* Synagogam intelligit pro ratione delicti puniendam. Accedit S. Cyprianus, in sermone de lapsis, qui in persecutione metu tormentorum Christum ore negarunt, sic scribens: « Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulnere diligens et longa medicina non desit, poenitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti; cui patri monium praepone maluisti, cujus templum sacrilega contagione violasti? Putas facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adherere cineri, in cilicio volutari et sordibus, etc. » Haec Sanctus Cyprianus. Quam multi vero sunt, qui longe graviora nunc admit-

tant scelera, quam fuerit illorum Christianorum negatio, ore non corde facta? At ubi in illis quaeso similis contritio? Ubi lacrymae? Ubi gemitus et singultus? Et licet haec externa non sint necessaria, debet tamen animus in confessione ita esse compositus, ut serium proferat dolorem. Sane D. Gregorius Nazianzen. orat. I. de bapt. dixit: *Recipio poenitentes, si lacrymis rigatos videro.* At si ante confessionem rideas, fabuleris, circumspicias, genua non flectas, mentem non componas, sed urgeas accessum, in ipsa confessione recites peccata tua, quasi fabulam aut historiam narres, sine omni cordis suspirio, festines ad discessum quasi furari absolutionem et statim aufugere velis, peracta denique confessione mox e templo te proripias: *Nonne bene dico quia tu Samaritanus es, et daemone adhuc habes?*

Secundo, ut vas cordis tui impleas lacrymis, et si fieri potest, usque ad summum, quo modo illi ministri jussi haurire aquam, impleverunt hydrias usque ad summum in nuptiis Canaë, Joan. II. Dolent aliqui de peccatis, quia ignominiam vel aliud temporale damnum peccando incurrerunt, et hi in terra repunt et quasi nihil infundunt. Dolent alii, quia gehennae addici, et caelo excludi metuunt; et hi accedente confessione mensuram attingunt, sed non infundunt usque ad summum, quia magis amore sui quam amore Dei offensi dolent de peccatis. Illi denique usque ad summum implent vasculum cordis sui, quorum dolor et lacrymae ascendunt usque ad Deum, quia scilicet eum tamquam super omnia diligendum et colendum, peccatis suis offenderunt. At vero jam si tu de illis peccatis doleas, quae tibi ignominiam vel multam pecuniarum aut graviores penas attulerunt, vel afferre possunt, eaque in posterum sedulo caveas, de aliis vero non doleas neque ea valde cures: *Nonne bene dico, quia Samaritanus es, et naturalem tantum dolorem habeas ex proprio amore natum?* Si quae proximum solum laedunt, peccata defleas et vites, non quae Deum laedunt: *Nonne bene dico, quia Samaritanus es?* Si extra constitutum tempus nunquam confitearis, nisi forte in periculo mortis, *Nonne bene dico, quia Samaritanus es, et gehennae metu, non amore Dei offensi vocas confessarium, non tam poenitens, quam poenitentia ductus, uti Judas, sicut ait Matthaeus, c. XXVII.*

Tertio, ut non vino aut alio liquore, si saporem vasi communicet, sed aquis et lacrymis compenses tua peccata, juxta id Thren. II. *Effunde sicut aquam cor tuum, q. d. effunde in peccata tua lacrymas, quae sint aqua, non oleum,*

non vinum, ita ut odor et affectus peccati admissi non remaneat in corde. At vero si quis post confessionem redit mox ad priora peccata; *Nonne bene dico, quia Samaritanus es, et propositum non habuit se emendandi?*

II. Confessio ad numerum expendenda est. Audimus enim Job, cap. XIV. dicentem: *Tu quidem gressus meos dinumerasti; sed parce peccatis meis. Signasti quasi in saeculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.* q. d. sicut pecunia in sacculo reposita solet obsignari sigillo, ne quid inde dematur; ita tu in memoria tua enumerasti et obsignasti peccata mea, ut ne unum quidem obliviscaris. Et quia non nisi per confessionem haec deleri debita possunt (quam Deus pro solutione accipit) si non enumeres omnia, saltem quae enumerare potes adhibita diligentia, nequaquam te liberabis; quia non reddis quod debes. Joseph audiens a decem fratribus suis, superesse undecimum fratrem, noluit acquiescere, donec et ipsum sisterent; *Alioquin, inquit, per salutem Pharaonis exploratores estis, Gen. XLII.* Similiter et Deus, quia numerum peccatorum tuorum signatum et perspectum habet, vult ut nihil ei abscondas in confessione (saltem quod grave peccatum et tuo iudicio mortale sit) sed omnia recenseas, habiturus alioquin te pro sycophanta et impostore, qui decipere Deum velis.

Itaque primo, ante confessionem, diligenter examina conscientiam tuam, pereurendo decem praecipua, vel priora tantum octo, ad quae omnia peccata reduci possunt, id quod tibi nunc monstrabo.

Circa primum praecipuum delinquitur. Primo contra fidem, idololatria, haeresi, dubietate in rebus fidei, curiosa disquisitione earundem, ignorantia rerum scitu et creditu necessariarum, librorum vetitorum retentione aut lectione, fidei abnegatione vel omissione ejus confessionis, cum est opus, superstitionibus, divinationibus, pacto cum daemone, somniorum observatione vel astrorum.

Secundo contra spem, desperatione de salute vel remissione peccatorum, praesumptione de utraque, dilatione poenitentiae culpabili, diffidentia de Dei providentia vel auxilio in necessitatibus vel exauditione orationum, murmuratione contra Deum ejusque ordinationes, tempestates, etc. confidendo magis in creaturis vel mediis superstitionibus. Item tentando Deum.

Tertio contra charitatem, nimio affectu erga creaturas, nimia distractione ad saecularia, oblivione Dei, servitio Dei servili, mercenario vel tædioso, diuturna orationis omissione.

Quarto contra humilitatem, si quis sibi adscri-